



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

12. Dies Aprilis. Illata cuilibet injuria, non accipientis, sed inferentis est
miseria. Boetius libr. 4. de consol. prof. 4.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Aprilis.

Tessera.

275

non tam ad libram Justitiæ, quàm ad plenam aurificis stateram, sententias suas expendunt, & Advocati nihil nisi aureum loqui volunt, aut cum Simoni de argenteum. Appositè sanè Isidorus Pelusiota: (a) *In judicis, quò, inquit, vergit aurum, illuc propendet iudicium.* Verus id malum est, & per omnes propè ætates omnium sæculorum fuscum, & propagatum. Quod deplorat D. Augustinus in hæc verba (b) *Usque adeò inolevit malum; ut quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venialis sit, & nulla jam causa possit esse sine causa.* Vix in foro tam vili pretio veneunt quæcunque merces, quàm leges: imò vix lutulenta sūs, quàm sacrum Jus. Sic quod olim fuit fabula, hac ætate est historia: (c) *Terras Astraas reliquit.* Hinc & tam pauci è terris petunt astra. Nemo non jam satagit nocere Innocentiæ; quia vix ullus est, qui sit, non dico, servans, sed amans Justitiæ. Est igitur hæc mea fixa sententia, metro brevi, sed nervoso circumscripta:

Multis major equi cura est, quàm Juris & equi.

12. DIES APRILIS.

Illata cuilibet injuria, non accipientis, sed inferentis est miseria. *Boetius libr. 4. de consol. prof. 4.*

S 2

I. Nul-

(a) *l. i. ep. 101.* (b) *Serm. 19, de verb. Dom.* (c) *Ovid. l. i. Metam.*

I.

Nullus alteri vel minimam irrogat injuriam, quin sibi sit maximè injurius. Undè qui injuriam infert, dignior est misericordiâ, quàm iracundia, injuriâ affecti. Nec opus est, ut hic, qui injuriam accepit, cogitet de vindicta; jam satis se alter vindicavit, dum contra justitiam peccavit. Fulissimè spatiantur injuriæ: aliæ enim inferuntur rebus externis, nempe bonis fortunæ; idque vel furto, re alienâ clanculum acceptâ committitur, vel rapinâ, quæ idem facit aperte, & per vim; vel damno, quod inferitur famæ, & Honori; vel Corpori, homicidio, vel membrorum mutilatione. Nos hic generatim agimus de Injuria quocumque modo illata. Ad injurias inferendas, homines non tantum sunt proclives, sed præcipites: non modò ad eas cursu feruntur, sed impetu rapiuntur. Unum illis est studium, aliorum patientiam lacessere tum dictis asperioribus, tum factis atrocioribus. Qui nihil ab aliis neque pati, neque audire; omnia à se volunt pati ceteros atque audire: ferendarum contumeliarum impatientes; inferendarum cupidissimi: quibus prætereà benè non est, nisi aliquo ad singulare certamine vocato, vires suas, pugnandique dexteritatem ostendant. Dicat timere eos, ne rubigine obductus gladius, inutilis efficiatur, si tamdiu vagina conditus delitescat.

II. Illi cum aliis altercandi occasione jugiter inhiant, quam & sagacissimè quærunt, & si non inveniant, faciunt: aliena, bono etiam animo facta, sine nistrè interpretando; levissima quæq; aliorum verba colligunt, eaque in se dicta, suoque officere honore

conqueruntur: omnia quæ proferuntur, contumelias arbitrantur: si quis eos obliquo oculo intuitus est, si liberiùs locutus, si minùs, quàm sibi deberi existimavit honoris, si plus alteri, quàm sibi detulit: statim in manibus arma, in ore minæ, in oculis ardor, in corde furor. Prima cogitatio, & manè dum evigilant diluculo, & ultima, vesperi dum decumbunt in crepusculo, est de sumenda vindicta. Quasi diem illum non satis exigissent probè, nisi quis eorum vires, atque nocendi vim, animique impotentiam fuisset expertus. Illud mirum, non tamen novum; omnia in hominis corpore consenescere, excepto interiorius corde, exteriorius linguâ. Semper enim cor ad cogitanda mala, quæ vel sibi, vel aliis inferat, est vegetum: semper lingua ad contumelias & convitia est apprimè idonea.

III. Vel ideò oporteret te cavere ab injuriis alteri inferendis; quod acceptæ injuriæ acerrimus in accipiente sit sensus. Etenim faciliùs unusquisque flagellis, ac verberationibus ultrò susceptis, plurimum à se sanguinis exprimet, quàm, ut ab altero, vel digitulo quidem uno, se tangi permittant: faciliùs ipsemet se hominem improbum, sceleratum, ac pœna supplicioque dignum fatebitur, quàm, ut ab altero minimam in exultatione sua plagam accipiat, faciliùs, se vilem faciendo, ad omnem animi demissionem projicet; quàm, ut ab altero in aliquod vile, abjectum, seque & genere suo dignum, compelli patiatur; faciliùs bonis ipse suis se exuet, quàm ut aliquid sibi terrore litium, vel iniquo judicio abradi sustineat. Si hoc non moveat; illud saltem iniquus sibi persuadeat, semper se sibi plus nocere, qui infert

injuriam; quàm alteri, qui patitur. Ita ut maxima sit pœna, impunitas injuriæ: Undè ipsa sibi infensa est malignitas. Designa aliquod vitium, & invenies, sibi intollerabile, severiùs Rhadamanto se punire: designa invidiam, amantem licet proprii commodis, videbis iniquam: designa Iram cum sua dulci vindicta; invenies acerbissimam. Etiam ipsam Injustitiam injustissimam dices. Itaque qui injuriam irrogat, adversus seipsum armatur. Ipse non tantum est sui carnifex supplicii, sed ipse sibi est supplicium: non est, quod extrà se quærat ultorem, ipse sibi est pœna. Hoc demum esto loco Colophonis, & altæ scientiæ:

Qui facit injustè, pœna est semper sibi justa.

13. DIES APRILIS.

Malevolæ suspiciones sunt calumniantium: benevolæ suspiciones sunt gubernantium, *D. Chrysof. hom. de Susanna.*

Suspicio. I. **P**Rima, inter injurias quas alterius inf. i nus famæ, est suspicio. Hac est, dum Intellectus, duobus sibi propositis ut incertis, assentitur alteri parti, sed cum aliqua fluctuatione, & vacillatione, absque magna firmitate. In hoc argumento illud observandum: tam boni, quàm mali, malè aliquando suspiciantur. Quamvis bonorum suspiciones bonæ sunt: malorum malæ, quia hi mala malè suspiciantur ad calumniandum; Illi verò mala quidem, sed benè, solùm ad providendum, & gubernandum.